

a sacro concilio præfixum sine licentia episcopi.

XV. An d. parochus et cæteri presbyteri servientes ecclesiæ teneantur accedere ad synodum diocesanam episcopi. Iisque die 5 Sept. 1693 responsum fuit manutendum esse episcopum in omnibus.

(138. Postmodum vero cum ad instantiam commendatarii, qui novæ audientia beneficii impetraverat in iis quæ respiciebant jurisdictionem independentem a delegata circa curam animarum, die 15 Jan. 1695, discussa fuerunt quæ sequuntur dubia, videlicet,

I. An episcopus Guardian. possit inquire contra parochum Ecclesiæ oppidi Aquævivæ non tantum in concernentibus curam animarum et sacramentorum administrationem, sed etiam aliis causis civilibus, et mistis, et quatenus affirmative.

II. An in casu impedimenti procedere possit cum censuris contra impediētes tam commendatarium quam ministros.

III. An dictus episcopus tam in actu visitationis, quam extra procedere possit contra laicos, commendatarium, et ministros dicti oppidi pro delictis ad curam ecclesiasticam spectantibus, v. g. usuris, concubinatibus, percussione clericorum, inobstantia dierum festorum, usurpatione jurisdictionis episcopalis, etc., et tali casu censuris ecclesiasticis uti.

IV. An tueri immunitatem ecclesiasticam in dicto oppido spectet ad dictum episcopum etiam adversus commendatarium et ministros, ita ut valeat eos declarare excommunicatos.

V. An sit manutenendus in possessione decernendi monitoria pro deperditis in dicto oppido.

VI. An ad ipsum spectet præstare consensum alienationi bonorum dictæ ecclesiæ, vel alterius loci pii juxta terminos cap. *Terrulas* 12, q. 2.

VII. An possit destinare concionatorem in d. oppido et cogere communitatem ad solvendam mercedem juxta solitum diocesis.

VIII. An præstare licentiam concionandi in eodem oppido.

IX. An dare licentiam parochi abessendi.

X. An dictus parochus, et cæteri presbyteri inservientes Ecclesiæ teneantur accedere ad synodum diocesanam episcopi.

XI. An litteræ remissoriales et compulsoriales favore commendatarii sint concedendæ.

(139. Rescriptum autem fuit: « Ad I, in decisio; ad II affirmative; ad III affirmative, exceptis commendatario et aliis ministris habentibus tria requisita; ad IV et V affirmative; ad VI affirmative, præterquam quoad bona religionis; ad VII affirmative, et quoad coactionem ad solvendum servetur solitum; ad X in decisio quoad parochos et beneficiatos; quo vero ad alios, dilata et ad mentem; ad XI negative quoad remissoriales, et affirmative quoad compulsoriales.»

(140. Præterea cum disceptatum fuerit:

« An œconomus ecclesiæ parochialis S. Mariæ Esther commendæ S. Joan Hierosol. oppidi Aquævivæ collis de cruce liceat conjungere in matrimonium parochianos dictæ ecclesiæ absque probatione status liberi faciendâ coram episcopo Guardiensi, et sine illius licentia. » Die 12 April. 1710, prodit resolutio: *Negative*.

(141. Postremo, discussis quatuor hisce dubiis « I. An episcopus Guardian. possit exigere subsidium charitativum ab Ecclesia Sancti Joannis Aquævivæ. II. An dictus episcopus possit exigere cathedraticum, seu synodicum a dicta Ecclesia, ejusque parochi. III. An idem episcopus in actu visitationis faciendæ in dicta Ecclesia possit exigere procuracionem. IV. An dictus episcopus in eadem visitatione possit recognoscere libros administrationis bonorum ejusdem Ecclesiæ ejusque rationem petere. » Sub die 14 Novemb. 1733 rescriptum fuit, « ad I, II et III negative; ad IV affirmative jure delegato. »

(142. Verum quia tam adversus postremam hanc resolutionem hodiernum episcopus, quam contra præcedentes sibi contrarias eques Antonius Cedronius dictæ commendæ possessor novæ audientia beneficii impetrarunt; idcirco ad extinguendas contentiones, quæ inter eundem episcopum, et commendatarium dicti oppidi Aquævivæ in dies oriebantur, proposito sequenti dubio, « An quæ et super quibus episcopo Guardiensi competat jurisdictio in commenda, seu oppido vallis vivæ, collis Crucis, et parochialis ecclesiæ S. Mariæ Esther, ita ut sit standum vel recedendum a decisio: » Sub die 5 Septem. 1693, 15 Jan. 1695, 12 April. 1710 et 14 Novem. 1733. Sacra congr. Conc., die 3 Maii 1736, in *Guard.* respondit: « Prævio recessu a decisio die 14 Nov. 1733; in reliquis in decisio. » Unde, ut vides, ex noviter deductis, recessit eadem S. C. C. a decisio in *Guardien.* die 4 Nov. 1735.

(143. Episcopo non prohibetur quidem bis quotannis diocesim suam visitare, sed non nisi unicam tantummodo per annos singulos procuracionem exigere potest, ut ex pluribus sacr. congregationis decretis. *De synodo diocesis.*, lib. vii, cap. 53, § 5.

(144. Vicarius capitularis potest diocesim visitare post peractum annum a visitatione ab episcopo facta, ut pluribus sacr. congregationis decretis decisum est; *ibid.*, lib. ii, cap. 9, § 5. Illi tamen non nisi dimidium procuracionis, quæ solvitur episcopo, retribuendum est, cum debeat minori comitatu incedere, et constat ex resolutione sacr. congregationis in *una Ostunen.* die 7 Julii 1708. *Ibid.*, lib. vii, cap. 53, § 5.

(145. Episcopi omnes ex vi constitutionis *Romanus Pontifex* a Sixto V editæ, antequam consecrentur, si Romæ existant, in manibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ primi diaconi cardinalis, extra curiam vero in manu antistitis ad hoc delegati ex formula præscripta jurant se statis temporibus limina sanctorum apostolorum visitaturos per

se, sive legitime impeditos per aliquem a suo capitulo; vel alium in dignitate ecclesiastica constitutum, vel beneficio præditum; et si hi defuerint, per sacerdotem aliquem diocesanum sæcularem vel regularem.

(146. Tunc autem Romano Pontifici rationem reddere tenentur de pastoralis officio impleto, et iis omnibus, quæ ad suam diocesim pertinent. Sacræ autem congregationi Concilii injunctum est munus, ut postulata episcoporum illorum discutiat, et det illis responsa, sicut et videndi num legitime sint impediti. *Ibid.*, lib. xvi, cap. 6, § 11, novæ edit.

(147. Tempus, intra quod obeunda est ista visitatio aliis quidem longius definitum est, aliis brevius, sed non minus quam triennium, nec supra quadriennium. *Ibid.*, § 3. Porro si episcopus habeat coadjutorem ab apostolica sede datum, sufficit si coadjutor nomine episcopi adeat, sicut etiam sufficit si mittatur administrator episcopatus, qui debet visitare limina suo, et principalis sui nomine, ut ex decisio a S. C., *ibid.*, § 5.

(148. Id etiam præstandum est ab episcopo titulari, ut ex Fagnano aliisque probatur, *ibid.*, § 5.

(149. Denique nec eximuntur episcopi ecclesiarum suburbicariarum, quamvis exempti sint a residentia. Ita ex decreto *Consistoriali Alexandri VII*, *ibid.*, § 6.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(1. Gravissima hic se offert quæstio, an ex concilio *Tridentino* sess. xxiv, cap. 9, *De reform.*, loca nullius diocesis visitari queant ab episcopo qua apostolico delegato, cujus cathedralis ecclesia est proximior.

(2. Una omnium sententia est, ecclesias nullius regulares visitari haud posse. Et quoad ecclesias nullius sæculares, sunt qui distinguunt inter ecclesias nullius proprie, ut sunt jam a diocesi separatæ, in quibus prælatus inferior habet omnimodam quasi episcopalem jurisdictionem, et ecclesias nullius improprie, ut sunt positæ intra fines diocesis, in quibus prælatus inferior habet quasi episcopalem jurisdictionem, sed non omnimodam. Visitari autem posse illas negant, hæc vero affirmant Ciarlin. controv. 67, num. 25, lib. i, et controvers. 22, num. 112, et sequent., lib. ii; Ros. *De resid. episc. c. 4*, section. 6, num. 483 et seq., Crispin. *De visitat.*, part. 1, § 13, n. 40; Marent. *De potestat. episcop.* part. iii, cap. 6 n. 2.

(3. Alii absolute affirmant, jus esse episcopo ex mox citata conciliaris sanctione visitandi ecclesias nullius etiam proprie; Fagnan., in cap. *Grave*, num. 21. *De offic. ordinar.* Barbosa, *ad concil. Trid.*, d. sess. xxiv, dict. cap. 9, num. 2 et seq., *De reform.*, *clar. mem.*; card. Petra, in *Comment. ad Constitut. apost.*, *constit. 4 Calixti III*, num. 141 et sequent., aliique. Et huic opinioni videtur adhæsisse Rota in *Nolana Benefic.*

25 Junii 1759, cor. Rev. P. D. Paracciano decano.

(4. Mihi autem magis aridet prior opinio distinguens ecclesias nullius improprie. (5. Hujusque opinionis plures, eaque solidæ, et ineluctabiles afferri possent rationes, sed ea hic sufficiat, quæ ex ipsis verbis concilii *Trid.* dict. sess. xxiv, dict. cap. 9, *De reform.*, desumitur. Verba sunt: « Quæ alias, etc., de adhibenda ab ordinariis diligentia in beneficiorum etiam exemptorum visitatione constituta sunt, eadem etiam in illis ecclesiis sæcularibus observentur, quæ in nullius diocesi esse dicuntur, ut ab episcopo cujus cathedralis est proximior, visitentur. » (6. Satis enim hinc patet, quod concilium *Tridentinum* de ecclesiis loquitur, non quæ vere, et proprie sunt nullius, sed abusive, et improprie nullius sunt. Si enim loqueretur de ecclesiis, quæ vere et proprie sunt nullius, inquisisset non in nullius diocesi esse dicuntur, sed in nullius diocesi existunt: nam aliud in nullius diocesi dici, etc., denotatque primum proprietatem, ac veritatem, secundum vero improprietatem, et abusum, ut monet Rebuff. in leg. 3, § *Ejus qui, ff. De verbor. sign.*

(7. Quid plura? Satis esse debet ea, quæ in S. congreg. episcoporum et regularium negotiis præposita, tum in altera concilii interprete obtinet praxis committendi quandoque episcopo viciniore, ut visitet loca hæc vere, et proprie nullius, in quibus inferior prælatus habet omnimodam jurisdictionem quasi episcopalem ad tramites facultatum ipsi communicatarum, ut testatur cardinalis de Luca in *Adnot. ad concil. Trident.*, discours. 15, num. 10, Crispin., *De visitat.* p. i, § 13, num. 40. (8. Quomodo enim asseri potest, concilium *Tridentinum* episcopo viciniore qua delegato apostolico potestatem fecisse visitandi mox dicta loca, si viciniore episcopus visitare ea nequit jure suo, sed opus habet commissione alteritrius sac. congregationis, nec transire valet limites facultatum ipsi communicatarum?

(9. Quod vero attinet ad decisionem Rotæ in *Nolana Beneficiorum*, 26 Junii 1759, coram reverendiss. P. D. Paracciano decano, satis esset dicere, quod ea est contumacialis; sed accedit hoc amplius, quod denuo proposita causa die 3 Martii 1760, coram eodem, sacrum tribunal nil definire voluit de hoc articulo; confer hanc decisionem.

ADDITIONES CASINENSES.

(1. Episcopus per seipsum visitationis munus peragere tenetur, non autem per substitutum, nisi legitimo impedimento infirmitatis, vel hujusmodi præpediat; sic enim præcipit *Tridentinum* sess. xxiv, *De reform.* cap. 3, ibi: « Per seipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem vicarium, aut visitatorem. » Idque jure optimo cautum fuit, quoniam uberes visitationis fructus majori ex parte evanescent, quando prælatus ipse oculari inspectione singula non perlustrat, nec oræ proprio exhortationis, correctionis et ordina-

tionis verba pronuntiat. » Ita Pax Jordanus, vol. II, lib. VII, tit. 1, n. 30, *De generali visitat.*

(2. « Limita (sic idem el. scriptor) quando non esset tanta necessitas visitandi per se ipsum omnes parochias; posset enim per alium discretum virum, etiam si non esset alias legitime impeditus, eas visitare. Unde Inn. in c. Romana, n. 2, ad medium *De cons.*, in 6. *Plene*, inquit, *visitatum intelligimus, licet aliqua parochia remaneant invisitata personaliter, quia forte in illis non est necessaria visitatio, vel sufficit, si fiat per aliam discretam personam.* » *Ibid.*, n. 36.

(3. Visitator autem, qui delegatur, debet ad minus esse in ordine diaconatus, c. *Episcopum* 10, q. 1.—Idem Pax Jord., *loc. cit.* n. 37.

(4. Porro ex *Trident.* cit. cap. 3, sess. XXIV, tota visitatio singulis annis, vel ad summum, si diocesis sit ampla, nec praestari integre queat, major illius pars, et intra biennium compleatur; et ibi. *DD. Communiter.*

(5. « Nullum tamen certum aliud tempus praescribitur episcopis ad complendam ipsam visitationem, sed illorum arbitrio relinquitur; quod quidem arbitrium discretum, ac moderatum esse oportet, et quanto citius possunt, debita tamen adhibita diligentia, se expedire, ne gravent subjectos expensis. Unde sancta congr. ad *Trid.* sess. XXIV, c. 3, ita respondit in *Gadicensi*. *Licet celerrime ab episcopo, et aliis adimplenda sit visitatio, tamen concilium noluit certum terminum praefigere, hoc arbitrio episcopi relinquendo, illud tamen moderatum, et discretum esse debet.* » Proptereaque circa alia negotia ad visitationem non pertinentia, occupare se minime debet, sed totis viribus in hanc curam incumbere. Ita declaratum per sac. congr. testantur Armendar., Ricc. pluribus locis, et Piasecius apud Barbos., allegat. 73, n. 9. » Pax Jordanus, *ibid.*, n. 40. Vide *Addit. Casinenses*, v. *PROCURATIO*.

(6. « Quod (sic idem Pax Jord. *loc. cit.*, n. 41) si visitator procurationem non accipiat, quia non soleat exhiberi, aut quia ipse usus liberalitate, illam renuat, propriisque se et suos alat sumptibus, tunc quia cessat ratio praedicta gravaminis subjectorum, cessabit consequenter et dispositio congregationis, neque accelerare cogitur, sed sua libertate poterit uti ad beneplacitum. »

(7. Praeterea, quamvis jura loquantur de unica visitatione per singulos annos modo praedicto, non prohibent tamen pluries in anno illam fieri, si necessitas ita requirat; sed tantum praecipunt semel fieri, si aliter non appareat de necessitate, non exclu-

(128) Benedictus XIV, in *Synod. dioces.*, lib. X, cap. 10, n. 6, contrarium videtur sentire, referens ad id S. C. Episc. et Reg. conc. decreta: « Sed ne quisquam (ita ille) pastorem visitationem iterantem insimulet, quasi crebrius ad suas oves accurat, ut eas saepius tondeat, non autem ut earundem

dendo multiplicationem constito de necessitate, seu legitima causa, consuetam procurationem debet recipere, ut affirmant Soccin., Archid., Cucch., Barbosa apud Pacem Jordanum, *loc. cit.*, n. 43 (128).

(8. Quod si absque procuratione velit visitare, nunquam potest prohiberi, etiamsi nulla videatur subesse causa urgens, et legitima. In tantum enim stricte praecipitur visitatio, semel et permittitur saepius ex causa, in quantum pareitur laboribus praelatorum, et sumptibus subditorum: at si quis zelo animarum frequentius laborem hujusmodi subire, et a subditorum impensis temperare malit, non est ei negotium facessendum. Ita in terminis idem Pax Jordanus, *ibid.*, n. 44.

(9. « Porro ad integritatem visitationis minime sufficit omnes sacerdotes simul, etiam ad synodum diocesanam convocare, et ibi de singulis, quae in visitatione perquirenda sunt, eos interrogare, sed opus est per parochias discurrere et ecclesias ipsas, loca, res, et personas oculari subjicere inspectioni, et cognoscere, quomodo populi audiant divina, et caetera ad Christianitatem attinentia peragant. Et ob id praecipitur singulas parochias regulariter esse lustrandas, c. *Romana* in 6, in princ. et ibi Gloss. (*accedere*) quae ait: *Patet ergo quod tenetur ire, nec sufficit ad suam ecclesiam convocare.* » *Diet. Pax Jord.*, *ibid.*, n. 45.

(10. « Bene verum est, quod si commode, et absque difficultate accedere ad unamquamque ecclesiam non possit, forte propter nives, glacies, aquarum inundationes, et similia; de pluribus locis ad unum congruum clericos, et laicos convocare debet, ne ab impeditis visitatio totaliter auferatur. » *Idem, ibid.*, n. 46.

(11. Heic adverto, quod nullus praelatus Romano Pontifice inferior, cui jus visitandi competat, potest subditis suis debitam visitationem remittere, sicut neque correptionem debitam condonare, cap. *Cum venerabilis*, De censibus et *DD.*, *ibid.*—Sic anted. Pax Jord., n. 47.

(12. Sed nec visitationis iteratio, quotiescunque necessaria iudicabitur, pacto remitti potest, nedum primaria visitatio; Pavin., Azor., Cucch. apud praed. Pacem Jordanus, *loc. cit.*, n. 48.

(13. « Papa (vero) ex privilegio, imo etiam ex generali exemptione ab ordinariis, potest eximere a visitatione ordinariorum; exempti tamen non censebuntur liberi a visitatione legatorum, aut delegatorum apostolorum, c. *Cum personae*, De privileg. in 6, arg. c. *Cum instantia*, De censibus. » Pax Jord., *ibid.*, n. 49.

(14. Illud etiam cognosce licet « ut neque vigore praescriptionis possint se tueri sub-

morbis novum afferat medicamen, propterea, cum S. cong. Episc. et Reg. an. 1586, tum S. cong. Conc. die 19 Sept. 1682, censuerunt, episcopo bis eodem anno diocesim visitando, unicam tantum deberi procurationem. » V. verb. *PROCURATIO*.

jecti, quominus visitentur a suis pastoribus, seu praelatis c. *Cum ex officio*. Juvat nihilominus consuetudo, et praescriptio circa procurationem moderandam, vel in totum auferendam. » Idem scriptor, *ibid.*, n. 50.

(15. Amplia, ut neque suspectus recusare possit Ordinarius visitans juxta *Trid.* c. 8, sess. VII, *De reform.*, et rescriptum Pauli V ad archiepiscopum Portugalliae: cujus tenor ex Barbos., alleg. 73, n. 38, est ut infra, videl.: « Venerabilis Frater, etc. Fraternalitatis tuae nomine Nobis nuper expositum fuit, quod visitationes, quae in tua diocesi in via decretorum cone. *Trid.* et alias legitime fiunt, saepius impediuntur; eo quia, visitati praelatum, seu alium legitime visitantem, suspectum allegant, in magnum divini cultus praesertim, et fabricae ecclesiarum praedictarum. Quamobrem Nos hujusmodi abusus tollere volentes, supplicationibus tuo nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. R. cardinalium S. *Trid.* conc. interpretum, apostolica auctoritate, tenore praesentium declaramus, episcopum, vel alium, cui id legitime competit, visitantem non posse uti suspectum recusari, non obstantibus constitutionibus apostolicis, caeterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Dat. Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 29 Octobris 1610, Pontificatus nostri anno sexto. Scipio Cobellutius, Venerabili Fratri Gondisalvo episcopo Portugalliae. » Concordat Gavant., in *prax. visit.*, § fin. in *Adnot.*, n. 2, et alii multi attestantes fuisse alias ab ead. S. Cong. responsum. Idem senserat prius sac. cong. Concil. 7 Martii 1596, sic rescribens: « Non posse episcopum in visit. recusari tanquam suspectum, dum tamen in ea processum non complet, et se intra terminos visitationis contineat. » Anted. Pax Jord., *ibid.*, n. 76.

(16. « Subampia, idem procedere in preparatoriis visitationis, et inquisitionis, de quibus, quoniam neque quo ad ipsa licet sub hoc praetextu impedire, quominus procedatur, atque poena extraordinaria, quae morum correctionem et emendationem respiciat, visitati afficiantur, decisum ab ead. S. congr. referunt Armendar., Barbosa, Gareias. » *Idem, ibid.*, n. 77.

(17. « Sublimita 1. Quando excederetur modus in visitando, hoc est quando egrederetur terminos visitationis; quod qualiter

(129) Notandum quod ubi jura, ac Tridentinum in correctionibus morum, et visitationibus episcopalis appellationem vetant, intelligenda sunt quoad effectum suspensivum, secus vero quoad devolutivum; adeo ut integram causae cognitionem, executis interea decretis, episcopi corrigentis, aut visitantis, probe riteque avocare possit superior ad sese, iudicaturus, an poenam, ac molestam correctionem subditus appellans promeruerit, an per injuriam, fraudesque accusantium subiverit. Id quod pluries censuit sacra congregat. Concilii apud Fagnanum, in cap. *Ad nostram*, de appellat., n. 6, ubi haec habet: « Ad effectum devolutivum bene admittitur appellatio etiam a correctione. » Nam S. congregat. Concilii... consulta; an decretum cap.

contingat, boni viri arbitrio definietur, cum non possit certa regula praescribi. » *Idem, loc. cit.*, n. 78.

(18. « Sublimita 2, quando procederetur, processum fabricando, tunc enim sicuti permittitur appellatio, ita etiam recusatio, Barbosa post Armendar. » *Idem, ibid.*, n. 79.

(19. Sed ut rem hanc rite evolvamur, lubet referre cap. 10, sess. XXIV, concil. *Trid.* in haec verba: « Episcopi, ut aptius, quem regunt populum possint in officio, atque obedientia continere in omnibus iis, quae ad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus, et potestatem habeant, etiam tanquam apostolicae Sedis delegati, ea ordinandi, et exsequendi juxta canonum sanctiones, quae illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac diocesis suae utilitate, necessaria videbuntur; nec in his, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela etiam ad Sedem apostolicam interposita, executionem eorum quae ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediatur, aut suspendatur. »

Ita Tridentinum; cum quo quatenus prohibet appellationem, dum agitur de visitatione, aut morum correctione, concordant decreta sacrae congregat. apud collectores earum. Ita idem Pax Jord., *loc. cit.*, n. 67.

(20. Subampia (ita cit. Pax Jord., *ibid.*, n. 68) quamvis appellatio ad Sedem apostolicam interponeretur, prout expresse cavetur in littera (conc. *Trid.*); et respondit eadem sac. congreg. apud Zerol.

(21. Quapropter in praedictis dabitur appellatio ad solum effectum devolutivum, hoc est ad devolvendam facti cognitionem ad superiorem, non vero ad suspensivum, quia interim executio non suspenditur, aut retardatur; ead. sacra congregat. apud eundem Pacem Jordanus, *loc. cit.* n. 71 (129).

(22. « Sic etiam a mandato de residendo in visitatione emanato dabitur appellatio ad solum effectum devolutivum, prout decisum refert Armendar. et sequuntur plures cit. a Barbosa, allegat. 73, n. 33. » *Idem, ibid.*, n. 72.

(23. Sublimita limitationem procedere tantum, quando episcopus procedit sine processu, ac sine scriptis, et de facto, etiam carcerando, et in carceribus detinendo, et

40, sess. XXIV, *Trid.* sustulerit appellationem devolutivam, censuit non sustulisse devolutivam, sed suspensivam tantum; et quamvis episcopus id faciat tanquam Sedis apostolicae delegatus, tamen non impedire appellationem devolutivam ad metropolitanum. »

Audiamus insuper clar. Maschat in haec verba: « Ipsa tamen appellatio sustinetur quoad effectum devolutivum... quia adhuc iudex superior cognoscere potest de justitia sententiae, et eam, si injusta est, rescindere. Et hoc sufficit gravato ad naturalem defensionem, uti et supplicatio et alia remedia extraordinaria; et si sententia est invalida, querela nullitatis. » *Inst. canon.*, lib. II, Decret. *De appellat.*, n. 10, quaest. 6.

similibus, quo casu carceratis appellantis, iudex appellationis cognoscit de prætenso gravamine, et excessu, non impedita interim, aut suspensa executione eorum, quæ ab ordinario sancita fuerunt, reisque in carceribus manentibus. » Idem, *loc. cit.*, num. 69.

(24. Idem habetur apud Fagnan., ad cap. *Ad nostram*, De appellat., n. 10 per hæc verba: « Soborta dubitatione, an in materia correctionis, ubi episcopus etiam sine processu, et sine scriptis carcerat subditos, et tenet diu, possit metropolitanus cognoscere de excessu in corrigendo, si carcerati appellaverint ad eum: Sac. congregat. censuit, posse, dummodo interim non impediatur, aut suspendatur executionem eorum, quæ ab ordinario decreta fuerint. »

(25. « At si processum sit, compilato processu, servatoque juris ordine, non intrat præfata dispositio concil., sed appellari poterit ad utrumque effectum, devolutivum scilicet, et suspensivum, sac. ipsa congregat. frequentissime super hoc consulta, de qua collectores ad ipsum cap. 10 *Trid.*, Barbosa alleg. 73, n. 52; Gavant. . . qui tamen intelligit post sententiam definitivam tantum, et minus bene, quia generaliter accipi debet de quibuscunque decretis. » Pax Jord., *loc. cit.*, n. 70.

(26. « Obiter vero adjungam quod quotiescunque appellare contigit in visitatione ad præfatum effectum suspensivum, ab episcopo suffraganeo semper interponenda est ad metropolitanum, etiamsi visitator processisse tanquam delegatus Sedis apostolicæ, eo quod in ipso concil. apponitur dictio *etiam*, decernendo, quod procedere possit etiam tanquam apostolicæ Sedis delegatus. Quæ quidem dictio *etiam* de sui natura est implicativa, et unum casum magis dubitabilem explicat, alium vero minus dubitabilem implicat, hoc est eadem dispositione connectit, et sic de utroque statuit plene. . . Unde episcopus visitando ensetur utramque potestatem, ordinariam, videlicet suam, et delegatam a Papa exercere. . . et consequenter non est præcludendus aditus ad metropolitanum, a jure communi subditis concessus, cum nullibi appareat de tali prohibitione, et præclusionione. » Anted. Pax Jord. *ibid.* num. 74.

(27. Et revera, docente Cobassutio: « Communi, et ordinario episcoporum juri superadditus est titulus delegatorum apostolicorum, non tam ad extendendam eorum potestatem, quam ad intendendam, seu robo-

VITA COMMUNIS

De vita communi hæc habe.

(1. Vita communis in primitiva Ecclesia servabatur ab omnibus fidelibus; quorum erat cor unum, et anima una, et illis erant omnia communia, ut expresse habetur *Actor. cap. iv, v. 32*, ibi: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima*

randam. Pleraque enim jure ordinario poterant, quibus superadditus est titulus apostolicæ delegationis, qui titulus non officit eorum juri ordinario, sed operatur, ut facilius et cum debita veneratione illis obtemperetur, præsertim ex eorum parte, qui prætenderent ipsorum ordinariam potestatem minuere, aut in controversiam revocare, aut ab ea se subtrahere. Unde licet a iudicis delegati sententia, vel processu appelletur non ad metropolitanum, sed ad Papam delegantem, ejusque legatum cap. *Super quæstionum*, § *Porro*, De offic. jud. deleg., et cap. *Si delegatus*, et cap. *Is cui*, cap. *Si a delegat.*, eod. tit. in 6. . . tamen quia ea quæ episcopi faciunt quasi legati apostolici ex jure communi, quod eis attribuit hanc qualitatem et titulum, non vero ex speciali aliqua per Papam delegatione, id faciunt jure communi ordinario, ideo interjecta ab eis appellatio devolvitur non ad Papam immediate, sed ad Metropolitanum. . . Idque Zerola confirmat declaratione, quam refert, sacræ congregationis, ut ab ejusmodi, quæ episcopi ordinant tanquam apostolici delegati, devolvatur appellatio ad archiepiscopum. » *Jur. canon. theor. et prax.*, lib. 1, cap. 9, n. 5. Id ipsum docuit Bened. XIV, *Institut. eccles.* 68, n. 12.

(28. Denuo illud nota: « Visitatorem non posse procedere judicialiter per viam fori contentiosi, sed extrajudicialiter per modum fori pœnitentialis. . . (et) in hanc sententiam videtur sæpius respondisse sacra congregatio Concilii. Nam a capitulo Segobiensi consulta, an et ad quæ genera pœnarum posset episcopus se extendere in visitatione, et ad pœnam ordinariam delicti procedere: respondit posse imponere pœnas non quidem ordinarias, sed eas tantum, quæ morum correctionem et emendationem respiciunt. Et archidiacono Juvenacensi: an episcopus in visitatione posset causas ordinarias cognoscere, respondit causas ordinarias extra visitationem esse cognoscendas. » Apud Fagnanum cap. *Dilectus*, De rescript., num. 43 et seqq.

(29. At hinc est, quod « in visitatione non debeat inquiri in specie super delictis rectoris, sive parochi, sed tantum de statu generali Ecclesiæ, nulla servata forma iudicii, et prout mandat decretum sac. congregationis Concil. per extensum relatum a Piasec. quia puniendi finis in visitatione non intenditur, sed corrigendi et salutare pœnitentias injungendi. » Sic Monacellus, *Form. leg. pract.*, tom. 1, tit. 5, formul. 2, n. 58, p. 137.

una, nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Primi enim fideles possessiones, et substantias suas vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat, et ut ab apostolis disponebatur,

nihil proprii sibi retinentes, et omnia communia habentes. *Actor. c. xi, v. 44 et 45*, ibi: *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia.* *Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Et id totum refertur in can. *Dilectissimus* 2, et can. *Scimus* 9, caus. 12, qu. 1, ibi: « Scimus vos non ignorare, quod hactenus vita communis inter omnes Christianos viguit. »

(2. Hoc vitæ communis genus frigescente laicorum fervore in clericis continuavit, ex quo nomen clericorum effluxit promiscue a clericis usurpatum. Canonici etenim dicuntur clerici in fraternitate, prout certe erant omnes clerici in primitiva illa Ecclesia, ut eruditè more suo observat eminentissimus Petra tom. 1 *Comment. ad constit. 2 Paschalis II*, n. 3, cum ipsis esset præceptum, ut districtè ac canonicè viverent, prout habetur in can. *Quoniam* 14, caus. 12, qu. 1, in cujus sumario sic præcise dicitur: « Diaconi, vel qualibet religiosæ personæ regularem vitam ducere cogantur. Canon enim Græcè, Latine regula nuncupatur; » textu expresso in cap. *Canon*, 1, dist. 3. Unde S. Dionysius Carthusianus tract. *De vita canonicali*, sic expresse dicit: « Clerici vocantur canonici; quoniam regularem, et rectam tenentur ducere vitam, vitiorumque obliquitates vitando sinceriter gradari juxta præfixa eis a sanctis Patribus instituta. »

(3. Reservatus tamen exinde fuit talis vivendi usus ad clerum ecclesiarum cathedralium una cum episcopo vitam ducentem communem in claustris prope ecclesiam constructis. Sic expresse d. Card. Petra, *loc. cit.*, n. 4, et clare habetur ex can. *Necessaria* 3, cit. caus. 12, qu. 1, ibi: « Necessaria etenim res existit, ut juxta ecclesiam claustra constituantur, in quibus clerici disciplinis ecclesiasticis vacent, utque omnibus unum sit refectorium, ac dormitorium, seu cæteræ officinæ ad usus clericorum necessariæ; ministri vero post episcopum super eos eligantur, » et c. *Certe* 18, ead. caus. et qu., ubi refertur S. Augustinus sic loquens: « Certe ego sum, qui statueram, nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere. »

(4. Collabescente tamen fere apud omnes hoc pio et sancto communiter vivendi instituto, plurimi sancti Patres, patriarchæ et fundatores afflato sancto Spiritu varias instituere religiones, assignatis ac traditis suis alumnis peculiaribus regulis, sub quarum observantia in perfecta et exacta vita communi magis ac magis, in studio virtutum in dies proficerent, sicque collapsa apostolica vitæ communis forma ac regula in pristinum restitueretur, uti restituta ac per universum orbem diffusa specimina virtutum, ac maxima sanctitatis incrementa regularibus claustris quotidie progignens Deo dante conspiciunt.

(5. Hinc omnes regulares utriusque sexus tenentur ad perfectam, et exactam vitam communem in omnibus, et per omnia, et

ad observantiam regulæ secundum suam primævam institutionem, textu expresso in concil. *Trid.*, sess. xxv, *De regul.*, c. 1, cap. *Cum causam* 27, De election.; cap. *Ad nostram* 3, De appellat.; cap. *Super eo* 9, et cap. *Ex parte* 29, De regular.; cap. *Recolentes* 3, et cap. *Ea quæ* 8, De statu monach.; concil. *Mediolanen.* p. iii, tit. *De com. vit. usu*, ubi loquens de monialibus sic statuit: « In omnibus monasteriis quoad cibum, potum, somnum, vestitum, cæterasque res attinet, omnes communiter vivant, ut a sancto concilio *Trid.* decretum est. » Et concil. *Cameracen.*, tit. *De monach.*, cap. 9 et 10, sic habet: « Cum sacrosancta synodus Tridentina præceperit ea, quæ ad communem vitam, victum et vestitum pertinent, fideliter observari, mandat hæc synodus omnibus religiosis, ut diligentissime paupertatis votum, tanquam ineffabilis cujusdam et dulcissimæ quietis causam custodiant, neque proprietatis vitio violent: caveant igitur ne quid sibi ita retineant vel retinere desiderent, ut communitati nolent esse commune, neve ad peculiare usus eo utantur sine superioris consensu. » Sicque expresse statuit Clemens VII in Decretis pro reformatione regularium, allatis sub verb. *Regulares*, art. 1, n. 85 et confirmatis a S. Congr. Conc. jussu Urbani VIII, in decretis *De apostatis et ejectis*, allatis sub verb. *Ejecti*, n. 2, et sic expresse sæpe sæpius decreverunt variæ sacræ congregationes.

(6. Unde si alicubi non ita exacte, et perfecte observaretur dicta vita communis esset a superioribus omnino præcipienda, et introducenda, et a subditis prompte et integre observanda, prout expresse mandant summi Pontifices, concilia ac sacræ congregationes. Et subditi recusantes vitam communem, cum superiores illam erigere, et introducere, prout debent, volunt, peccant mortaliter: *Mastrius Theol. moral.*, disp. 4, num. 46; S. Antonin. part. iii, *Summæ t. XVI*, § 11, *De paupertat.*; *Donatus, Prax. rer. Regul.*, tom. IV, tract. 15, quæst. 5, cum aliis ibi citatis; Felix Potest., tom. I, pag. 2, num. 1087, testans de communi. Et ratio manifesta et insolubilis est, quia regularis utriusque sexus recipiens, et retinens aliqua notabile independentem a voluntate superioris, peccat mortaliter contra votum paupertatis: sed regularis utriusque sexus recusans vitam communem juxta formam Tridentini, decretorum Clementis VIII pro reformatione regularium, ac constitutionum aliorum summorum Pontificum, signanter Innocentii X, Alexandri VII, et Innocentii XII, in decretis a sacra congregat. super disciplina regulari de ejus mandato et auctoritate editis (ubi confirmantur, et innovantur decreta concil. *Trid.*, Clem. VIII, ac aliorum summorum Pontificum ad id edita, ut patet infra sub num. 12, ubi adducuntur). Superiore volente illam erigere, recipit, et retinet independentem a voluntate superioris, imo contra ejus voluntatem; ergo peccat mortaliter contra votum paupertatis. Major est certissima ex abunde adductis sub verb.